1

NOVA
LUX
POLONIAE

LUSTRICO DIE

MIECISLAI I.

POLONIAE PRINCIPIS

DUM

Septem annos natus puer, comam deponens
Lucem primum aspexit

EXORTA

ET

A Musis Stylo Genethliaco Cracoviae
in Palaestra Oratoriâ Collegij
VULADISLAVIANI
Demonſtrata
An Dni 1666
Die 16 Septem

Biblioteka K.U.L. Rkp 131

DEDICATORIA

Oderunt semper tenebras Musae, et in ipsis etiam, quas amant incolere, Lucis; porrectis Vultibus respiciunt ad Lucem Serenissime Princeps Zemomislae D. C. Coelo minitantia Parnassi cacumina sedes illis sunt: quicquid humile et vulgari caligine oppressum; raro aut nunquam adeunt. Viderunt hae exortam in summo fastigio Poloni Orbis novam Lucem: ideoq. tanto celerius ad amicum sibi iubar procurrerunt, quanto maiorem inde sibi ominantur venire splendorem. Peregrinae hactenus erant, hoc sub sole et solo: quia minus calente et culto. Ita iam Ubi illustratum vident, in Lechiam spretis migrare Athenis non dubitabunt. Dum modo de affectu Tuo Princeps Potentissime Lechidarumq. omnium non sint solicitae. quem Voto hoc et gratiarum mentis officio unanimis demereri volunt. Accipe pignus devotarum tibi mentium, ipsasq. Camaenas; ornamentum Principatus Tui insigne futurum, cum earum Cultoribus, fove.

ORATIO.

BIBLIOTEKA K.U.L. Uniwersytecka

Quod omnis cogitando renouet memoria, posteritas loquendo suspiciat; die hodierna (quæ cum in fastis primam insignis honoris paginam meruerit, ducta ab auro vel Cressâ ne careat pulchra dies notâ decernendum iudico) Miesconem Principem a Natura toto damnatum septennio ad tenebras: ad lucem benegnâ sententiâ Superum reuocatum, serena fronte omnes, hilari vultu, gestienteq; præ lætitiâ corde feliciter aspeximus. Monit ille ad primum palpebrarum suarum ictū, oculos Poloniæ totius; et cum pupillam suam illi aduertit, orbitatem amouit. exorta lucis propriæ, ab occasu, et omnis Confusionis caligine, dulcem Patriam conseruans. Quæ vbi primum Miesconem in lucem editum sine luce vidit, vtramq; luminum suorum Pharum, superante lacrymarum procellâ penitùs oppressit: nec prius malaciam sensit, donec Gemini hi, Principis iterùm prospexati, mediâ hâc tempestate illuxissent. Credidit illa tum ab vltima Thule ad iuga Carpati destinis niuibus rigentia, semestres noctes commigrasse. sed diuturniores experta totis septem annis, quibus Natura Principi oculos formabat clausa mærore tenens lumina, defixumq; solo vultum. Cui solatio esse non poterat, condolere voluit, calamitatem imitatione participans. Non cessit pietate et officio in Principem Persis aut Indis, quibus solenne, olim cum luscis caecutire, cum claudis cespitare Regibus. Nihil omninò videre sibi visa est, cum caput sui corporis, quibus cæteris membris prospiceret, oculos non haberet. Sterilitatem tuam Princeps Zemonislae incusaret Lechia? non potuit. Filium ei dedisti. Fœcunditatem prædicaret? non. orbum luminibus credidisti: nubila ideo semper frons illi ad hanc tempestatem: quoad serenus hic illuxerit, et Vniuersam Sarmatiam.

-natiam recrearit Phanes. Et verò quis adeò pronos gerit et glebis immersos ob-
tutus Boeotes aut Lydus? qui ad exortam quavis in mundi parte, lucem
oculos non advertat intentos? Ut cæteris sensibus hæc potentia perfectior:
ita ferri in sua obiecta expeditior est. Si roseum aurora surgens su-
do cœlo vultum explicuerit; neminem non spectatorem habet. Si Pater ille
nascentis toto cœlo, totâq terrâ lucis, tempestuosæ post horrorem noctis, amicas
viventibus omnibus faciem adverterit; nulli non venerabilis et salutatus e-
rit. Suspicimus ingens plenam commodati luminis Phœben, sed non
minus reparantem sua cornua cum voluptate spectamus. Et si quam
pellucida domus illa in facie inferi huius orbis produxerit imagi-
nem. speculum nobis ea ipsa est; in quo defixis vultibus et novi-
tatem rei admiramur, et futurorum certam odoramur solicitâ indagine
prœsensionem. Incaluit universa Polonia serò post tædas Hymæ-
nœi Lucinæq visa sine luce furores; accensis ex improviso in Regiâ tua Ge-
nethliorum ignibus. Collucent quavis in parte suâ, signa certioris lætitiæ,
crebro excitatæ flammæ. fervent fidissima subditorum tuorum pectora, et
in isto ardore, tibi quidem Princeps Invictissime Prœsentis felicitatis pro-
spera semper et nunquam diminuenda incrementa gratantur. sibi verò
totiq Patriæ cum abundè gaudeant, tum novam lucem de luce Mie-
czonis accensum iri, Poloniamq certo illustrandam benè feliciterq
augurantur. Omnes inviso etiam Trophonij Cumæoq antro, pleni Cæ-
lestheo vates sumus. Nec per somnia aut umbras, sed lucem cœlitus immis-
sam sereniores duntaxat soles in Lechico cœlo orituros prœsagimus.
Adverte iam Princeps oculos: et si crepusculi saltem a nobis demon-
strati signa videris; diem in procinctu iam esse affirmabis. Vox hæc
populi uno ore felicitatem tuam futuramq Patriæ lucem loquentis
Vox Dei est. Aures illi accommoda et iucunda auditu erit
et eventu (quem interpretes Sarmaticæ tibi pollicentur Musæ)
plusquam certissima.

Frustra nec agere quidquam nec imprudenter (quantumvis consilio careat omni) cum bene sanis affirmamus Naturam: quidquid in hac aut temeritatis Democritus vel ob id ipsum cachinno dignus videat: aut Anaxagoras indistinctae confusionis adfingat. Habet vis illa totius Universi partibus infusa, et fines suos quos propter omnia agat: et in agendo sanctas rationes et vias tritas, quas nunquam transgrediatur. Ita cum in minimis tota illa sit, tum nescio in magnis quam Universa et prolixè operosa. Quidquid vspiam magni sinu suo concepit, summo cum impendio non nisi, diuque molita opus, semper edidit. Carneos illos seculi montes totis decem annis parturit. Leonem quasi non satis in Vtero ad fortitudinem formârit, linguâ Parentis, vrso et altero mense informandum rictuque Leaena terribili animandum reliquit. Quanto verò vni homini magis prae omnibus, totam se in obsequium impendit, tanto hic curâ et nutriendi diligentiâ maior. Monstrorum domitorem quatuor supra decem menses in Vtero Alcmenae detinuit: vt compactis bene intra claustra genitalia membris, par esset Alcidas immissis ab iniusta Noverca perculsoribus, intra cunas elidendis. Et belli fulmina Scipiadas non oriri, sed fractis ferro obicibus erupisse voluit; vt qui excidium Carthaginis in Vtero adhuc meditati sunt, per caedes nascerentur. Ream hactenus Polonia in Iudicium Vniversi Orbis egit insectanter Naturam. summam eius aduersum se culpans nocendi licentiam: quae et thalamos Principis spe inani diu admodum elusit, et licet serò post poenitentiam agere visa est, expetitam tot votis prolem sterili alioquin senectae concedens; nihilominus tamen iniuriosa extitit; cum desiderium quidem Regiae Sobolis felici puerperio Principis nostrae, in te Princeps Inclyte totaque Polonia extinxit, sed idem desiderium negata partui luce maiori ardore inflammandum reliquit. Quot tum ora Poloniae? quot acres aduersum Opificem hanc nec quidquam frustra facientem insurgebant

Accusatores! Communi mortalium vitio qui diuina pariter ac humana ex arbitrio suo metientes praesentem fati legem, cum multa intercessione fastidiant: quid boni procuret illa in futurum intelligere nolunt. At enim

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus

Tu porro quid aeternis minorem
Consilijs animum fatigas.

Erravimus errorem hunc omnes, et Superos minus Polonis propitios, communemq[ue] rerum omnium et benignam parentem nouercali odio in Principem infantem exarsisse, questi sumus, ignari tanto molimine impendioq[ue] quantum nobis formaret Principem, quantam post diuturnas tenebras claritatem et lucem. Non fefellit in Hercule. fidem fecit in Scipione. hanc eandem meretur et in nostro Miescone. Diu operata est: quid mirum? competens haec magnitudini mora fuerat. Diu lucis usuram negauit: bene est. cum maiore fauore luminis, praelucere parauit claritati suae. Et debebamus profecto

Si mens non laeua fuisset

aut obtusa adeo gestaremus pectora, omnem prosperitatem Reipub[licae] Patriae amorem Diuinumq[ue] prope a Miesconis orbitate nobis polliceri. Sed caecutiuimus cum ipso, nec felicitatis venturae certissimum omen, parum oculati aduertimus. Rerum humanarum Dominam caecam cum amoris numine adorauit antiquitas. Ab illa secundis rebus aequabilem cursum: ab hoc ijsdem conseruationem et munimen certum, aduersus vim odij omnia dissipantis sperans. Posita sunt haec et impense culta in Lararijs respublicas custodientem idola. Non recedebant e cubiculis Imperatorum haec simulacra: Venerabiliorq[ue] fascibus aut diademate haec tessera Imperij fuit.

Sponte haec enimuero tibi Princeps Inclyte obuenit. in penetralibus tuis, Praestina visa est. cuius viuam in se imaginem fortunata

Soboles tua, hanc in diem exprimens, documentum certiſsimum dedit: accensum geminâ hâc lampade sacrum ignem, non nisi ampliori cum incremento claritatis præferri debere olim Polono Imperio.

Quisquis non vno partam colit aſse Mineruam.

et operum anteacti æui ad præsentem memoriam est fidelis exactor: haud ignorare poterit accensos et prælatos ignes, tam Romanis quam Asiaticis signum fuiſse Imperij Principibus; Hoc præeunte apud Populum Quiritium in Curiam, hoc in domicilium Lucis, hoc in Martis campum, itum semper est. Dario aduersus Macedonem procedenti; Ignis quem ipsi sacrum et æternum vocant argenteis altaribus præferebatur. Curtius auctor. Prætiuit hic et vsq̃ olim apud Xenophontem Cyro, commodis, Aurelianis, alijsq. togati populi Imperatoribus Tacito loquente præiuit. Et pariter Romana aquila, fulmine ac lumine conspicua supremis Magistratibus viam semper initiauit. Et verò quoties flamma ex improuiso oborta caput alicuius attactu luminoso delibauit: nunquam nisi futuro splendori illis verticibus prælusit. Ambedere Cæsarem Ascanij visus ignis est: quia iam tum in capite suo locum Diademati, condita Alba Regno parauit. Puerum adhuc Ser. Tullum afflauit: quia sic ad splendorem Regium initiari debuit. Nec vani auspicio nubilam L. Martij nostro in exercitu post interitum Publij et Cnei Scipionum in Hispania concionantis, frontem serenauit: insigni enim ex hostibus triumpho, cæsis octo et triginta millibus, binisq. castris direptis præluxit. Magna semper felicitatis prænuntius erat, cælestis in hæc inferiora, subito lapsus splendor. Habet hoc miraculum in oculis suis Polonia, videt in Principe Adreßione accensum ad rotas solis, et in terram diductum (ita Dijs permittentibus)

ignis cælestis splendorem. Quidni igitur in flamma hac, et suam illustrationem tota Sarmatia: et in Miescone illuminato crescentis Iuli spem, Tullij Regnum, Lucij fortunam, suspiciat certoq[ue] sibi polliceatur? O Lucem Poloniæ latè Arctoas breui oras illuminaturam! O Diuinam sacri ignis flammulam! splendorem nominis Lechici in facie totius orbis accensuram! Cæcitatem ponit Miesco, lumen recipit: felix commutatio! nomen cum lumine assumit, bonum omen! certa felicitatis tessera! efficax lætitia omnibus et ægræ mentis consolatio; Cælorum vim, siderum cursus diligenter scrutantibus, experimento compertum est: hæc humana ad astrorum motus regi, nec alias esse Parcas, quæ nascentibus fata disponant. Quippe ex eorum inter se commercio, si vniuersa tellus accipit vices et ad vbertatem aut frugum internecionem adigitur; si annos, si sæcula, vis illa definit, quid miremur singulorum mortalium corpuscula inde vitam, læta et tristia, cupiditatesq[ue] sortiri? Jupiter, Sol, et Venus optimi Planetarum, deterrimusq[ue] cum Marte Saturnus. Mercuriusq[ue] et Luna, varij ex sorte locorum quos insidunt. Cuius illorum Regnum fuerit, cum in Orbes quis intrat, quo gradu, quo aspectu, illum cæteri temperarint, vel verserint. Illic quidquid de quo decretum est Chaldæis legitur. Liceat et nobis hanc Cæli obseruare imaginem? quid verò hic tantus astrorum in ortu Miesconis, tanq[uam] incredibilis consensus? istæ Synodi mirabiles Planetarum? hæc cæli domus decima? religionis sublimationem, Regum et Imperiorum exaltationem, pacis belliq[ue] ornamenta significans. Annon Achilleum, bonæ spei, nobis omnibus præbet argumentum? Bene venit Augusto Capricornus, et ideo semper annuli gemma honoratus. Et Tyberium isti non dederunt in errorem errones. Quodq[ue] insignis illa Castorum pagina cuiquam deseruiuit innumerato recepit. Quid plura? en tibi oppido quam videre iam videmur Poloniam, Cererem alteram sed secundam magis. Illa filiam ad vmbras amisit, nec recepit: hæc natum Miesconem à tenebris

luci

luci restitutum gaudet, ignesq. totâ regione, laetitiae non moeroris indicia succendit. Placet sibi laetis temporibus serta collectarum uberrima ex messe aristarum deferens. Iam hic ad Odram, Borysthenemq. moles Herculeas cum antesignanis Regum suorum proponit. Illic decisis arborum frondibus, opima hostium lexuviis trophaea erigit: hinc Litavis, illinc Russis et Moldavis, Pannonibus et Bohemis: hinc Prutenis Pomeranisq. illinc Livoniae Moscoviae (non vanae hac futurae felicitatis olim, nostris oberrant in oculis imagines) iura Polonia dicit. Bono non nisi omine religioni Verog. Magni Dei cultui, hic sacer, iam solo datus praeluxit ignis. Lux illa Regnorum et Imperiorum anima, Numinis sincerus honos et Unus. In Augusto apparebit nunc primum. Vivet totiq. Reip: pene iam emortuum corpus, vivaciore spiritu informabit. Accendet flamma haec caelestis pluribus altaribus aeternos ignes. Sacratos crebro focos excitabit. Et quae à Polo nomen habet, caelum ob sinceram venerationem praesentis sibi Numinis Poloniam efficiet. Omnes errorum nebulae et quaecunq. tandem lucem Lechici nominis oppresserunt caligines, hoc fugabuntur ab exorto sydere. Lux q. tota, tota claritas et fulgor, omnium oculos malevolorum castigans, hic quasi in centro (suo) multiplicatis radiis fortius in adversa aget. (Adverte oculos caelo, Inclyta Lechi domus et ipsa solito maiorem astrorum tuorum diligentius examina splendorem! Unde is coma Enisci, aut Ariadnae ardor? si dubitas mediam inter sidera ornamenta Caeli micare iam Principis tui illuminati Taedam! Non hic ad aras (dedicata, fumum contractura pendebit. Lucem tenebris nostris attulit publica Lux, illam, in domo luminis manet caliginem omnem aspernatur et odit. Veneremini ergo iam diem (hunc Poloni, quem totus olim orbis suspiciet, et venerabundus in fastis Principe loco adnotabit. Observate religiosius horam hanc, quae aurei vobis temporis et clarissimorum sine nube dierum exordium est. Gaude impr[illegible] tu Zemomislae

Princeps

Princeps fortuna, quam etiam criminabaris hacterus nemini
oculatior, vultum exporrexerit serenum quam tibi. Quod abstu-
lisse credebatur, iam cum faenore multiplici reddidit. Dedit
sterilitati solatium: nubilae menti serenum restituit: cla-
ritatem nominis splendore oborto: immortalitatem, digno suc-
cessore propagavit. Vives Ziemomislae caducae hoc productam
seros per nepotes vitam, supercilio tuo, luce istâ erecto
latissima Poloni Imperij monebis. Proferet Lechica eximij
candoris aquila, non solum in corvorum nidos, sed etiam in
equorum pascua, Leonumque et Draconum cubicula, primae-
vam suam, de veteri Gnesnâ genitalem sedem. Agnoscit
genuinam prolem suam, probatis ad solem orbium luminibus
die hodiernâ Mieczonem. Infundet generosae soboli
vigorem, et erectum in sublime, latè imperandi artem, armige-
ra gubernantis omnia Jovis ales edocebit. Non accenditur
ignis, nisi circumiacentia cum illuminaverit, calefaciat.
Speramus verumque hoc: Soli, naturae, experientiae legibus convicti.
Quodque felix et faustum sit tibi, Princeps Inclyte, Reipu-
Polonae gloriosum, bonis omnibus salutare: prolixo cum gratu-
lationis officio, hospites nunc sed brevi indigenae futurae
precantur Sarmaticae Musae et

Certus enim promisit Apollo.

Concepto per sacros Hippocrenes latices Sacramento pro-
mittunt.

BIBLIOTEKA K.U.L.